



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Petri Apostoli in vrbe Romae praedicatione. Cap. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

à diuino & admirabili fulgore, oculis mentis penitus per-
 strictus, ex templo (cum iam antea in illis sceleribus, quæ
 nefarie & perditè consciuerat, à Petro Apostolo, in Iu-
 dæa manifesto deprehensus fuisset) longissimum iter
 terra mariq; instituens, ab oriente ad occidentem vsque
 quasi profugus vagatus est, istumq; viuendi modum so-
 lum sibi ex sententia fore arbitratus. Sic tandem ad urbem
 Romam profectus (cum iam ibi diabolica vis & poten-
 tia ad hominum perniciem assidue excubans magno sub-
 sidio illi veniret) breui suum institutum eousq; perdu-
 xit, vt ab illis statua in eius venerationem erecta, hono-
 raretur, vt Deus.

De Petri Apostoli in vrbe Roma prædicatione.

CAP. XIII.

CAeterum ista nõ ad longinquum temporis spatium
 ex sententia illi processerunt. Nam è vestigio, sub
 ipso Claudij imperio benigna & propitia Dei totius hu-
 ius vniuersitatis rectoris erga humanum genus, providen-
 tia, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium A-
 postolorum propter virtutis amplitudinem facile prin-
 cipem Petrum, Romam versus ad eiusmodi pestiferam vi-
 tæ humanæ corruptelam delendam quasi manu deduxit.
 Qui quidem, vt pote generosus & strenuus Dei dux, di-
 uinis armis obtectus munitusq;e, eximiam & pretiosam
 tanquam mercaturam veri luminis, mente sola compre-
 hensi, ab oriente ad occasum vsque deportauit, ipsamq;
 regni cælorum prædicationem, cælestem scilicet lucem
 & salutarem animorum doctrinam palam diulgauit.

De Marci Euangelio. CAP. XIII.

Sic ergo cum diuinus sermo iam ad Romanos perua-
 sisset, Vesana Simonis potentia extincta est, & homo
 ipse actutum vnà penitus profligatus. Ac tanta pieta-
 tis lux eorum mentibus, qui Petrum audiebant affulsi, vt
 non eius sermoni omnino auscultando, non doctrinæ
 diuinæ prædicationis, minime scriptis, proditæ atten-
 dendo contenti acquiescerent: Sed à Marco. Petri co-
 mite (cuius euangelium esse fertur) multis varijsq; præ-
 cibus contenderent, vt monumentum illius doctrinæ,
 quam